Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Lvdovici Venegas ... Mariale beatissimae virginis variis conceptibvs moralibvs illvstratvm

Venegas, Luis

Fribvrgi Brisgoiae, 1624

Avctor libri ad Avgvstissimam coelorvm reginam

urn:nbn:de:bsz:31-160454

Visual Library

AVCTOR LIBRI

AD AVGVSTISSIMAM COELORVM REGINAM.

DIVA, tuo ductu magnum ſuperauimus æquor;
In portu ſtat cymba. Sed hoc tibi laudis habeto
Fragmentum, pia Mater, adhuc; hoc ſymbolum amoris;
Hanc arrham ſubmiſsi animi, atque tuo igne flagrantis,
O ſuper eximios hominum pulcherrima partus.
Nulla tibi ſimilis, tibi nulla ſecunda, pudoris
Tu flos & palma, & Vitæ fons atque ſalutis,
Caſta, venuſta, decens, ſpecioſa & amabilis inter
Mille alias, iterumquè alias mille inter, & inter,
Myriadas mille. Vt me occulto numine tangis?
Vt mea lætitia ingenti & dulcedine tacta
Mens ſalit? Vt ſuaues circum præcordia motus,
Dùm te concipio, experior? Quæ gaudia vultu
Præſenti conſpecta dabis, quàm larga supernis
Lætitiæ argumenta choris, te fulgidam amictu
Inſolito quando aſpiciunt, circumquè vibrantes
Tempora ſtellarum radios, cui Cynthia plantas
Ambit honorato amplexu & veſtigia fulcit?
Inclina, Mater, faciem, & formoſa tueri
Ora ſine: vt tandem ſtola gloriæ, amictus honoris
Candidus, & Vitæ chlamys immortalis obumbret,
Qua præcincta ſinu laxo ſancta agmina claudis,
Me quoque in æterno Elyſio. Hîc mihi terminus eſto,
Hæc meta & finis votorum, ô DIVA, meorum.

EPI-